Costeni Bonaventurae: Assertiones theologicae de Deo uno et trino.




13.

ASSERTIONES THEOLOGICÆ. DE DEO TRINO ET VNO.

Ad mentẽ Fratris Ioannis Duns Scoti Doctoris Subtiliss.

In CONVENTV LEOPOLIENSI Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia publicé ad disputandum propositæ.



Defendet F. BONAVENTVRA COSTENVS. Patrocinante sibi V. P. F. MARIANO COSTENO. eiusdem Ordinis in CONVENTV LEOPOLIENSI. S. Theologiæ Lectore.

Mense Die Hora

ANNO DOMINI 1625.



IAROSLAVIAE, Anno D. 1625.



ILLVSTRI AC MAGNIFICO DNO,

D. IOANNI DE HOŁOI-SKO TYSZKIEWICZ.

Domino ac Benefactori colendissimo.

FRATER BONAVENTVRA COSTE-NVS. Ordinis Minorum de Obseruantia vtramque felicitatem.



VM GENTILITII TVI Nominis vetusta episemata suspicio Illustris ac Magnifice Domine, à cęlestibus lampadibus (Luna scilicet et Stella) splendorem suum videntur mihi mutuare. Astra video, Lunam suspicio, at mysterium Astrorum & Lunę non agnosco. Quid? Lunam & Astra in hęc inferiora, lumine virtutem suam insinuare, omnis concedit auctoritas. Et tui etiam Gentilitii Lunam & Stellam, lucere inter Lechiadas, velut inter ignes, Lunam, minores. omnis fatetur posteritas. Luna & Stellę largiorem ab orbis oculo mutuant nitorem. O-

omnes Familię, à conditore orbis decorem, ſine quo omnis formoſitas deformis, omnis color decolor, omnis aſpectus deſpectus: mutuauit et Proſapia Tua à Deo nobilitatis originem, dignitatum ſplendorem, Honorum & officiorum excellentiam. A Luna et aſtris inſtillantur in hęc inferiora aliquæ arcanę qualitates/ in quibus multi & mirabiles in ſublunaribus effectus explicantur: inſtillauit quoque Maiorum Tuorum Familia in Patriam ſingularem animi candorem/ declarauit in Deum pietatem et amorem; quod et Tu facere non deſiſtis/ commoda Patrię priuatis pręferendo/ vitam ipſam incolumitati boni communis poſtponendo/ toties cum hoſtibus pro honore & gloria Dei prępotentis conflictus Martios exercendo: teſtis eſt Moſchouia, teſtis Podolia/ teſtis Valachia. Quare iure meritò Aſſertiones Theologicę de Deo Trino & vno/ ſub Tua luce lucem vident: quas boni vt nihil ambigo conſules/ & hoc qualecunq; munus Tibi multis nominibus debitum/ noſtrę verò erga Te non intermoriturum gratitudinis monumentum grato & benigno vultu excipies. Vale. Patrię nobiſq;/ diu ſaluus & incolvmis.

Infinitum



ASSERTIONES THEOLOGICÆ.
DE DEO VNO.

I. INfinitum Numen Esse seu existere, ita euidens est, vt nulla natio detur sub cælo quæ non sit imbuta quadam opinione Existentiæ Dei: omnibus enim fæcundo naturæ vbere instillatum est Numen, ita vt multa regna sine Principe, sine literis non pauca, sine Numine autem neque pagus vnus, neque lar vnum: solius Athei dementatum pectus dicit; Non est Deus.

2. AST mittamus Atheos negantes Principiũ principiorum, qui videntes fluxum creaturarum videre nolunt Creatorem, quem esse authorem & causam omnis creaturæ, siue illa sit spiritualis, siue corporea ex fide certum. Vnde surdis auribus contemnitur & condemnatur absurdus Simonis Magi sensus, qui Angelis à se fabulosè confictis, non Deo huius Ordinis ordinatissimi fabricam adscribebat.

3. VT tutius nauis inter procellas optato potiatur portu, vnum ei damus clauum, vnum assigna-

mus gubernatorẽ: ita vt meliùs nauis totius orbis procedat, vnũ Nauarchũ, vnum supremũ Præsidẽ ei attribuimus: quod & cæca Gentilitas vidit, & nonnunquã suos Deastros derisit; quasi vnum Numen non valeret tantæ negotiorum multitudini attendere, & vna potentia totum mundum moderari. O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina.

4. AVthoris omniũ nullus author, vel causa, cùm sit Ens simpliciter primum, incausabile, & actu existens: & simpliciter primũ in ratione finis, & primũ secũdùm eminentiam, ita vt eidem naturæ insit ista triplex primitas. Impossibile autem est in natura poni duo prima effectiua, aut duo prima eminentissima, aut duos vltimos fines.

5. DEus sub ratione propria Deitatis, cognitione distinctâ ab intellectu creato, pro statu viæ attingi nõ potest, tamen præter cõceptus Deo & creaturæ cõmunes, possumus naturaliter habere aliquos conceptus soli tantùm Deo proprios, nimirum perfectionum in summo, qui nulli subseruiunt creaturarum, inter quos conceptus entis infiniti, & perfectior est, & simplicior quibuscunque alijs.

6. OMnipotẽti nihil arduũ Artifici, potest enim ea omnia toto æuo, quæ possibilitatis admittũt rationẽ, & à contradictionis immunia sunt næuo: talia enim produci, non diuinæ potentiæ, verùm contradictoriorum

riorum arguit naturam; impoſsibilitas enim rei eſt formaliter ex parte rei, principiatiuè autem ab intellectu Dei.

7. ÆTerni rerũ effectoris Dei aſpectandũ hoc vniuerſi conſtitit opificium, perfectũ quidẽ in ſuo ordine, non tamen ita quin perfectius eſſe nequeat: hoc enim ſoli Deo, vel libenter concedimus, qui ſeipſo æternus ac perfectiſsimus exiſtit.

8. BImembris in Ordinatam & Abſolutam Potentiam Potentiæ partitio à Theologis recipitur: Ordinata eſt, quatenus Agens agit iuxta ordinem à lege præfixum. Abſoluta quatenus agit & agere poteſt præter, vel contra legem. Cum igitur in poteſtate Dei ſit rectitudo legis, Agere per potentiam abſolutam ordinatiſsimè poteſt, præter & contra legem, non modò particularem, ſed etiã & vniuerſalem: atque ſic res meliùs facere, quam fecit.

9. COnditor à ſe condita fortunæ credere nõ debuit, ſed curare ſollicitè; proinde omnia immediatus Dei influxus gubernat, ſuſtentat omnia, fouet omnia, quibus ſi fauere deſiſteret, conſeruante deſtituta Numine, nihili repeterent ditionem.

10. OMni creato enti Vbi perpetuus indiuiduuſq; comes. ſolus ille dedignatur Vbi, qui ſolus totus, & vbiq; ſuã diffundit ſubſtantiam, nec vllis locorũ

claudituſ

clauditur spatijs, nec extra orbem orbis huius, per imaginaria spatia, immensam suam diffundit præsentiam.

11. THeologorum communi senso, Deus omnibus præsens per Essentiam, nõ ex eo solùm, quòd ab eo cuncta creata & alita, sed quia per suam Essentiã reb⁹ omnib⁹ coëxistit realem suæ præsentiæ substantiã exhibendo. Per potentiam, non ex eo solùm quòd ei omnia subdita, sed quia omnia ab eo resumunt esse, & circa omnia immediatè operatur. Per præsentiam quòd ei nuda, & aperta omnia.

12. AGens creatum, non tam ăngustis arctatum est cancellis, vt in distãs Actio omnino eidẽ interdicta sit: latiùs Agens Increatum suum protendit imperium; ac proinde ex eo quòd sit Deus ter Opt: Max: vbique per Potentiam, non rectè infertur, eum esse debere vbique per præsentiam & essentiam.

13. INcurium ac cæcũ cũ Epicuro, & obliuiosum cũ Carneade Deum dicere est verbis eum asserere, re autem tollere. E lacunâ peccãdi erupit hæc opinio, Sacrilega derogatio Bonitatis Diuinæ. Propter quod vnũ quodq; tale, & illud magis. Qui plãtauit aurẽ nõ audiet, aut qui finxit oculũ, non considerat? Psal. 93.

14. VT Sacrosanctũ Diuinæ mentis intuitum in omne omnis differentiæ tẽpus, in quoduis cuiusuis rei esse admittam⁹ ac veneremur, cũ intima quæq; intimo

intimo aſpectû colluſtrantē fatemur. Cognoſcit enim Deus mutabilia immutabiliter, contingentia infallibiliter, & futura præſenter.

15. VT qui è turri altiſsimâ proſpectat viatores, & priores & medios, & poſtremos ſimul videt, etſi priores poſtremos nō videant; ita Deo omnes præſentes, tam Adā olim mortuus, quā Antichriſtus olim naſciturus. Quidni? Vox vnica omnes omnium ſimul aures: lux vnica omnes omnium oculos illuminat, & Diuina cognitio vnica, omnia ſimul cognoſcit.

16. ÆTernitatem vt exponas Dei, dic, Interminabilem vitæ totā ſimul perfectamq; poſſeſsionē. Illius æterna æternitas à parte Ante, & à parte Poſt includit infinitum; atque adeo in illius perfectione, duratione, operatione, nihil eſt præteritum, aut futurū, ſed præſentiſsimum præſens.

17. DEus voluit alia à ſe ab æterno, licet non pro æterno. Porro voluntas duplex in Deo nominatur, Signi & Beneplaciti. Voluntas Signi, eſt ſignū, quòd Deus hoc voluit: eius ſpecies quinque aſsignantur. Præceptum, Prohibitio, Conſilium, Permiſsio, & Impletio. Voluntas Beneplaciti, eſt vltima determinatio voluntatis diuinæ volentis efficaciter aliquid ponere in eſſe.

18. PRÆdeſtinatio propriè & formaliter eſt actus diuinæ voluntatis, concomitanter autem intelle-

ctus Diuini, seu volitio efficax & determinata saluandi aliquē, id est, conferendi sibi vitam æternā, & ea per quæ consequatur vitā æternam. Cùm Deus contingē-ter prædestinet, prædestinatum possibile est damnari: in sensu diuiso, admitto: in sensu composito, nego.

19. NVlla potest assignari ratio aut causa prædestinati nisi voluntas & beneplacitū Dei. Illā tamē sententiam, quę asserit decretum electionis ad gloriam, seu dandi vitam ęternam, non fuisse in Deo completum ante præuisionem bonorum operum per gratiam exercendorum, cùm sit Doctoris irrefragabilis, & Doctoris Seraphici, honoro ac veneror.

20. CVm Deus sit iustus, non potest sine malis meritis dānare, teste S. Augustino. Proinde sine respectu vel p̄uisione peccati alicui⁹, neminē De⁹ decreuit absolutè dānare ad infernū, aut rep̄bare. Datur in Deo Liber vitę, ex quo inscripti nō delebūtur in ęternū.

21. IMmutabilis est De⁹ tā substātiali quā accidentali mutatione, nec aliqua cadit in illum vicissitudinis obūbratio. Aliquid verò aliud à Deo esse, vel posse esse immutabile, simpliciter repugnat: sicut impossibile est quòd aliquid pręter Deū sit formaliter necessarium.

22. PRocul à simplicissimo & perfectissimo Ente, vlla quarūuis partiū facessit cōstitutio. Non enim cōponitur ex Materia & Forma, nec ex genere aut diffe-

rentia

rentia, nec ex actu & potentia, nec ex subiecto & accidentibus, aut ex alijs huiusmodi, ex quibus constituta, non absque imperfectionis coalescunt nota.

23. DEus Maxim⁹ ab aliquib⁹ in Prædicamēto; vt aiūt, nō iniuriè, sed cū honore includitur; verū parū inde honoris, immò plus incōueniētiæ, Deū aut aliquid dictū de Deo, Substantiæ, aut alteri cācellari prædicamēto, cū sit act⁹ purissimus, & simplicissimus.

24. INter Essentiā Diuinā & Relationes, inter Essentiā & Attributa, & inter ipsamet Attributa, non nouā, sed ingeniosam vsurpo distinctionem, nimirum formalem, siue ex natura rei, quam licet aliqua ingenia mortalium dedignantur, eam tamen Essentia & Attributa non dedignantur, sed recipiunt & amplectuntur; cùm nullam includat imperfectionem, neque inuoluat, vt aliqui putant, compositionem.

DE DEO TRINO.

De Personis in Communi.

25. VNitas Dei, ita à nobis per fidē habetur, vt etiā finita trāsnaturalis Philosophi acies eam ex suis principijs deducere valeat. Cæterū altissimū Sanctissimæ Trinitatis mysteriū, ita est supernaturale, ita altū

mare, vt ferè homini sit innabile; quare vela rationũ cõtrahenda, anchora fidei iacienda; valeant rationes, sensus abeant; credatur; & adoretur Sanctiss. Trinitas.

26. IN mysterio hoc rato, sed multũ eleuato Theologi vtuntur similitudine ad illustrandũ. Sol vnus tria habet; corpus, lumen, calorẽ, quæ vnum solem constituũt. Sol producit lumen, ambo calorem. Pater ad instar solis. Filius, lux vera, quæ illuminat omnẽ hominẽ. Spiritus Sanctꝰ, corda hominũ inflammat & calefacit.

27. SIcut Deus noster essẽtialiter vnꝰ est, ita personaliter necessariò trinꝰ, cũ idẽtitate enim, vnitate, ac simplicitate essentiæ diuinæ esse potest, & de facto est eiusdẽ essentiæ, per productionẽ, æterna & ineffabilis cõmunicatio. Porro productiones intrinsecæ Deo neq; plures, neq; pauciores esse possunt quã duæ; vna generatiua, habens se per modum naturæ; alia spiratiua per modum libertatis.

28. NVmerũ trãscẽdẽtalẽ in Diuinis propriè & simpliciter sumptũ si inuenire attẽtas, oleũ & operã perdis, numerũ autẽ secundùm quid & cum addito reperire poteris, iuxta illud S. Ioannis. Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S.

29. PLures Personæ in Diuinis quã tres esse nõ possũt: harũ vna est improducta, scilicet Pater: duæ autẽ productæ, nimirum Verbum, & Spiritus S. hic à duo-

bus spiran-

bus ſpirantibus Patre & Filio; per voluntatem fæcundam ſpiratus: ille verò ab ipſo Patre per memoriam fæcundam totalem ac perfectam, æternaliter genitus.

30. PRoductiones Diuinas diſtingui inter ſe, cõmune Theologorũ eſt decretũ: ſed aſsignare quomõdo, id ita arduum quibuſdam viſum eſt negotium, vt labyrintho ipſo inextricabilius & difficilius appareat: Doctor ſubtilis ſubtiliter, ſeipſis diſtingui formaliter euicit; per principia verò & terminos diſtinctionem earum ſecundariam, & à poſteriori concluſit.

31. PErſona in cõmuni conuenienter tali depingitur à Richardo penicillo. Perſona eſt naturæ intellectualis incommunicabilis exiſtentia. Perſona in Diuinis præter negationem incommunicabilitatis, Vt Quo, & Vt Quod, conſtituitur aliquo poſitiuo. Perſona in cõmuni], non dicit relationem communem, nec Eſſentiã ſecundùm ſe, ſed ſuppoſito, quòd Perſona dicat aliquid poſitiuum, vt pote ſubſiſtentiam, illa ratio abſtrahit ab abſoluto & reſpectiuo, eritq; indifferens ad abſolutum in creatura, & ad relatiuum in Deo.

32. PErſonæ Diuinæ nõ cõſtituuntur ſeipſis, ſed proprietatib9. An autẽ hæ proprietates ſint Relatiuæ vel Abſolutæ. Doctor ſubtilis relatiuas eſſe cũ ſentẽtia communi affirmat, licet illam opinionem quæ per abſoluta conſtitui aſſerit, ab hæreſi vindicet, errori tamen proximiorem eſſe declarat.

DE DEO PATRE.

33. IN Patre æterno eſt potẽtia propria generãdi reſpe-ctu Filij, nõ tamẽ dicitur Filiꝰ abſolutè poſsibilis. Pater generat Filium, naturâ & neceſsitate ineuitabilitatis. Porro generat etiam voluntate non ſolùm concomitante & conſequente generationem, ſed etiam antecedente, non tamen tanquam principio productiuo proximo, vel remoto.

34. PRoxima potẽtia generãdi in patre nõ eſt relatio. Eſſẽtia prȩciſè ſûpta pro aliquo ſigno prioritatis, vt aliquo modo prior Patre intelligitur, & vt in Patre conſiderata, abſtrahendo illam ab intellectu, eſt potẽtia remota: proxima verò, eſt ipſa Eſſentia præſens in ratione obiecti intellectui diuino, quæ ſic intellecta, eſt quid abſolutum, licet connotet relationem, nimirum ſuppoſitum Patris.

35. PAter æternꝰ æternũ generat Verbum, nõ actu eſſentiali ſeu notitia operatiua, quæ eſt cõmunis tribus Diuinis Perſonis, ſed actu notionali ſeu productiuo producit Notitiam Genitam, qui actus dicitur Dictio.

36. ILla propoſitio: Deus genuit aliũ Deum, tã apud Theologos, quàm apud Logicos, eſt ſimpliciter falſa, imo hæretica; licet enim veritate Catholica edocti fateamur Deum generantem, generare alium qui

eſt Deus, non tamen inde colligere licet, Deum genitum eſſe alium Deum, ſeu alium à Deo. Deus ergo genuit Deum non alium ſed alterum eundem, non tamen ſe.

37. HÆC etiam enunciatio. Deus eſt Pater, Filiꝰ & Spiritus S., eſt vera prædicatione formali, nõ tantum identica, ſicut & hæc, Pater Filius & Spiritus Sanctus eſt Deus, ſecunda tamen eſt formalior quàm prima. Illa autem propoſitio, Deitas eſt Pater, Filius & Spiritus Sanctus, ſicut & ſua conuerſa, eſt vera identicè non formaliter.

38. INgenitũ, vt dicit carentiã geniti, ſeu negationẽ producti, eſt proprietas ſoliꝰ Patris. Innaſcibilitas autem vt diſtinguitur contra Paternitatem, non eſt proprietas conſtitutiua Patris. Porro prima Perſona nõ cõſtituitur in Eſſe perſonali per aliquẽ reſpectũ ad extra.

39. AD primã Perſonã Eſſentia Diuina nõ determinatur per aliquid poſitiuum, ſed ſeipſà: & ſic Eſſentia Diuina eſt ex ſe determinata ad dandum Eſſe Patri, determinatione actiua oppoſita indeterminationi ad contradictoria.

40. TOta Eſsẽtia quæ eſt in Patre, eſt etiã in Filio, & Spiritu S. non tamen Eſſentia generat, vel ſpirat, ſicut nec generatur, nec ſpiratur. Licet autem Eſſentia Diuina communicetur, non tamen communicatur ante productionem Perſonæ, nec Perſona producta eſt ante communicationem Eſſentiæ, quamuis in Patre

præſubpoſ

præſupponatur exiſtẽtia eſſẽtialis, ſubſiſtẽtiæ notionali.

41. PRopoſitio illa, Pater eſt Sapiẽs Sapiẽtiâ genitâ, eſt falſa: illa autẽ, Pater eſt Sapiẽs Sapientiâ ingenitâ, eſt vera: ſicut & hæc, Filius eſt Sapiens Sapientiâ ingenitâ, ſi ſumatur ingenitum eſſentialiter. Falſa autem & hæretica, ſi intelligatur perſonaliter.

42. NOtiones à Theologis communiter numerantur quinq;. Innaſcibilitas, Paternitas, Spiratio actiua, Filiatio, & ſpiratio paſsiua: duæ ſunt propriæ Patris, Paternitas & Innaſcibilitas: tertia cõmunis Patri & Filio, vt pote ſpiratio actiua, quarta propria verbi, puta Filiatio: quinta, propria Spiritui S. nẽpe ſpiratio paſsiua.

DE VERBO ÆTERNO.

43. VErbi æterni æternæ & humanæ inacceſſæ mẽti generationis, in illa definitione (Generatio eſt origo viuentis à viuente, vt à principio coniuncto ſecũdùm ſimilitudinẽ in natura) modo æquior ſis arbiter, reſplendere cernes imaginem.

44. VErbũ in Diuinis producitur de ſubſtãtia Patris, nõ vt Ly De, notat materiã vel quaſi materiã, ſed vt notat conſubſtantialitatem & originationem. Non enim materia vel quaſi materia mutationi ſubiecta in Deo conceditur, ſola enim ibi productio, illaque vniuoca, abſque omni imperfectione inuenitur.

Filius

45. FIlius Dei ita est Omnipotēs sicut Pater, qui licet aliquid nō posit quod Pater, (scilicet generare) tam en ex eo Omnipotens nō esse dici haud potest, cùm sit æqualis Patri in Omnipotentia intensiua & extensiua respectu creaturarum.

46. ARs æmula & simia naturæ, & Verbū creatum simulachrū Increati, quod est actus intelligentiæ productus à memoria perfecta, non habens Esse, sine actuali intellectione, repræsentans aliquo modo Verbū increatum.

47. GEneratio Filij Dei æterna cōuenientiùs exprimitur per tēpus præteritū, etiāsi significetur per præsens, & futurū: instans enim seu Nunc æternitatis, coëxistit omni differentiæ temporis nostri, atq; ita quicquid dicetur de tempore nostro, idem dici poterit secūdùm modum nostrum concipiēdi, de Nunc æternitatis, quatenus coëxistit tempori nostro.

48. SCio Ebionē Cherintū & Arianos tunicâ Diuinitatis Verbū æternū, & æternitate simul spoliâsse: verùm in Sanctissimo Triadis Sacramento velint, nolint, salua fidei veritate, Verbum Patri coæternum & consubstantiale asserere coguntur.

DE SPIRITV SANCTO.

49. SPiritū Sāctū à Patre & Filio procedere, Fidei Catholicæ fax illuminauit: Sacrosanctus Cōciliorū

ſenatus decreuit: authoritas grauiſsimorum Sanctorũ Patrum, non modo Latinorum, ſed etiam Græcorum, à tot ſæculis perſuaſit; à quorũ ſententia tanquã degeneres Græci, Rutheni, & Armeni Schiſmatici, ſola pertinacia nixi deuiârunt..

50. FAmoſa inter Theologos cõtrouerſia eſt. An ſi per impoſsibile Spirit9 S. nõ procederet à Filio ſed ſolùm à Patre, diſtingueretur né à Filio diſtinctione reali necne? Duæ in hoc negotio ſunt ſententiæ, vna affirmat, & alia negat. A negatiua diſcedo, & ad affirmatiuam cũ Doctore ſubtili libenter accedo.

51. HÆc propoſitio: Spiritus S. procedit à Patre per Filiũ, ſano modo intellecta, à multis Theologis eſt recepta: non quaſi Pater ſpiret per Filium Spiritum San: velut per inſtrumentum, aut tanquam per principium Quo, ſed eatenus, quatenus Filio communicat eandem vim ſpiratiuam.

52. SI Patrẽ & Filiũ duos ſpiratores affirmes, à veritate aberraſti, quia ratione virtutis ſpiratiuæ, & act. ſpirandi, Pater & Filius eſt vnus ſpirator. Si verò duos ſpirantes aſſeras, ratione duorum ſuppoſitorũ, ad ſcopum veritatis Catholicæ collimaſti.

53. QVI Patrẽ & Filiũ vniformiter ſpirare Spiritum S. aſſerit (ſiue actus ſpirandi ſumatur ſecundùm ſe, ſiue inquantum eſt talis termini) rationes eius congruunt

gruunt: quod si spirare ad supposita referatur, sic qui Patrem & Filium vniformiter spirare affirmat, rationes ipsius corruunt.

54. SPiritus S. per missionẽ suã est amoris casti, & sancti per gratiam effector; Sanctus cordium incẽdiarius: Dei cum hominibus & hominum inter se Paranymphus: qui præter visibilem missionem, inuisibilia dona donat hominibus: quæ dedignari indignum est, non acceptare periculosum, spernere perniciosũ.

55. DOnũ acceptũ pro donabilitate nõ est proprietas Spiritus San: si verò donum sit idem quod liberè, seu liberaliter productum; & dare sit idem quod liberè per modum voluntatis producere, sic est proprietas Spiritus San. cum ita donum esse, vel dare, nihil aliud sit quam spirari, vel spirare.

56. DOnũ Spiritus S. charitas, quæ sicut annulorum gemma, ita virtutum omnium ornamentum est: ipsa virtutes omnes ampliores reddit; impolitas natiuo complet decore. hanc dari in naturâ beatificabili, fide sacrum est, sine qua in animâ sicut sine Solis præsentia in subiecto orbis ambitu, tenebræ.

57. LVmine indiget oculus ad videndũ, intellectꝰ etiam & voluntas ad visionẽ & fruitionẽ Essentiæ Diuinæ habitu supernaturali; cum nullus intellectus creatus de facto naturaliter possit videre Deum, neq;

voluntas frui, quãuis de potẽtiã absolutã non implicet creaturã acceptari ad beatitudinẽ in puris naturalibus.

58. INtensionẽ charitatis, sicut & cuiꝰlibet Qualitatis, si desumas à noua graduũ adauctione in eadẽ parte subiecti, consentio; Si ab intimiore in subiecto radicatione, vel à maiori dispositione subiecti, vel à maiori recessu à contrario, dissentio.

59. VIrtus quæ laudabili directiõe ad gloriosũ deducit portum est Charitas: habẽs tamen eã nõ est formaliter & completè acceptus Deo, sed solùm dispositiuè, completè autem & vltimatè per relationem illiuꝰ habitus ad acceptationem Diuinam.

60. NOn ita ferocit peccatorũ venialiũ turba in habitũ charitatis, vt eũ aut minuat, aut ad fatalẽ deleat internecionem, cum solùm feruorem charitatis diminuat; per peccatum autem lethale charitas non minuitur, sed totaliter demeritoriè destruitur. Causa effectiua Charitatis est Deus gloriosꝰ, cui Laus & gloria.

❖

Ad Maiorem gloriam vnius Triadis, & Trinæ vnitatis, atquè honorem perpetuum semel Matris, semper virginis augustissimæ MARIAE.